



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

caput secundum [i. e. primum]. Quomodo Lutheranismus primus in Galliam  
aditus sit patefactus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

## CAPUT XIX.

- I. CALVINUS Geneva pro Episcopo se gerit, & Ministros à se ordinatos huc illuc ablegat.
- II. Primis novi Evangelii Ministris nomina sua mutare usitatum.
- III. Calvinii auctoritas Geneva formidabilis.
- IV. Multi ad videndum & audiendum Calvinum Genevam se conferunt.
- V. Scholares quidam studio relictis, ad Calvinum proficiuntur.
- VI. Qui è quovis ligno Ministros, tamquam Mercenarios, format.

## CAPUT XX.

- I. GENEVA prima & præcipua hæreseos sedes, vel sentina.
- II. Ad quam tamquam asyllum omnis generis homines confluerunt.
- III. Geneva per intestina Gallorum bella crevit.
- IV. Eadem Gallia viribus ad sui defensionem usa.
- V. Gallia post Turcas in auxilium vocatos multum pristini splendoris & virium amisit.
- VI. Plerique Principes magis de statu suo conservando quam Dei propugnando honore sunt solliciti.

QUOMODO LUTHERANISMO PRIMUS  
in Galliam aditus sit patefactus.

CAPUT PRIMUM.  
A R G U M E N T U M.

- I. Lutherana hæreseos contagio in Gallia gliscit.
- II. Ecclesia hostium in concinnanda Ecclesia sua historia vafrities & impostura.
- III. Scemmata eorum & calumnia à Catholicis contemnuntur & ridentur.
- IV. Quanta turba & confusiones è Nova religione nata sint.
- V. Scatus religionis & reipublica eodem tam in bonis quam in malis vinculo est colligatus.
- VI. Gallia post introductam hæresin, nullum non malorum genus experta est.

I. Q UEMADMODUM morbi contagiosi, qui sunt velut divinæ iræ flagella, primo de domo in domum, deinde ex uno oppido in aliud proserpunt, ac tandem totas pervadunt ac depopulan-

tur regiones, sic ut quæcumque oculos quis flectat, nihil aliud occurrat quam

Luctus ubique, pavor, & plurima mortis imago: sic pestilens quoque Hæreseos virus, quo non minus, quam illis, Deus populi sui peccata punire solet, postquam in Saxonia gliscere semel cœpit, mox paullatim non totam tantum fere Germaniam infecit, verum etiam ulera Rhenum in mediam nostram Galliam sese effudit, secumque infinitas miseras & calamitates invexit. O Rhene, verus Galliarum limitum arbiter, idemque fidelis Romani Imperii contra barbaras à septentrionibus nationes quondam propugnator! [a] sic cine munus tibi creditum deseruisti, ut septentrionali illi hosti aditum præberis, qui non Galliam solum devastavit, verum etiam sacrum Romanæ Ecclesiæ imperium convellere est aggressus? Tu, qui quondam legitimi thori quasi arbiter, spurios undis hauriebas, legitime vero natos sanos & incolumes ad ripam transmittebas; qui, quæso, factum est, ut tantum ab illa naturæ tuæ rara & mirabili dote mutatus, tam multos spurios perferre potueris, qui ad vexandos, adeoque interneccione delendos veros Jesu Christi & Ecclesiæ filios, egressi, & ultra citraque grassati sunt? Cur non Nilii Ægyptum fecundantis naturam potius imitatus es, quem nullum umquam pestilentem vaporem exhalare ajunt? Sic cine pat fuit, illas delicias, illam Europæ paradisum à te infici & contaminari? Argentina illa tua, Argentina fuit, illa heu nimium vicina Franciæ, ubi multiceps illud Hæreseos monstrum primum stabularum fuit, viresque suas ad Galliam asiliendam collegit. Hoc asyllum fuit Lutheristarum & Zvinglianorum, sub Martini Buceri infestissimi Catholicæ Ecclesiæ adversarii, ductu. Hoc receptaculum fuit eorum qui è Galliis proscripti fuerant; & hospitem eorum qui Calvinismo favebant. In hac urbe novella hæreseos Thalmud. præcipuum ruinæ nostrum instrumentum, proculus fuit & absolutus, illæ scilicet famose Calvinii institutiones. In hac denique urbe prima novorum Evangelicorum Gallicana Ecclesia instituta, ad quam tamquam ad prototypum, ceteræ deinde per Franciam passim sunt conformatæ. Sed operæ precium est rem à primis velut principiis arcessere; sic tamen ut operis nostri ordo à seopo nihil discedat.

II. Principio satis non est ut in genere sciamus, quomodo hæresis è Septentrionali angulo Austrum

[a] Scriptores Romani & Cluverius in Antiqua Germania.

versus progressa, omnium quæ Sol aspiciit regno-  
rum florentissimum pervaserit; neque mala quæ  
inde existerunt, quæque ad eum statum miseram  
Galliam redegerunt, ut de pristino splendore nihil  
ferme præter nomen retinuerit, sub uno tantum as-  
pectu proponenda nobis & indicanda sunt: sed ex-  
pedit omnino, ut omnia minutatim ac particulari-  
ter enarrètur, quo posteritas nostro exemplo sapi-  
entior facta, tanto melius hoc omne hominum ge-  
nus pernoscere & ab iis cavere sibi discat. Quo lo-  
co consideranda veniunt, primo ipsa hæreseos eu-  
nabula, è quorū complexibus nata à quibus susce-  
pta & educata, paulatim adolevit, atque id roboris  
assequuta sit, ut ex eo, quem occupavit loco non fa-  
cile deturbari possit, antiquam illam si dem ab Apo-  
stolis eorumque successoribus per manus nobis tra-  
ditam, qua tot jam seculis regnum hoc stetit, omni  
bonorum genere affluens, & fama usque ad sidera  
notū, sub non minus falso quam superbo Reforma-  
tionis prætextu, non mutare tantum, sed etiā plane  
evertere molita. Hoc specioso Reformationis velo  
fatalis illa Helena deformitatem & turpitudinem  
suam tegere conata est. Et sicut Sleidanus novam  
hanc meretriciam sponfam centumculis quibusdā  
non inconcinne confutis exornare studuit, dū toto  
suo libro id agit, ut Lutherus magnus & mirificus  
vir videatur: sic auctor libri cui titulus est, *Historia  
Ecclesiastica Reformatarū in Gallia Ecclesiariū, &c.*  
[a] multus est in Calvini laudibus, ut hoc veluti  
fucō & ipse suæ Helenæ procos quærat & inveniat.  
Ut enim qui à Catholica defecerunt Ecclesia, pes-  
sima quæque de iis quos reliquerunt, præsumunt, &  
explendo odio, aliis etiam persuadere nituntur: ira  
libri quoque istius auctor, qui ex aliorū suggestis hi-  
storiam suā confarcinavit, quiq; in Præfatione ipse  
Novæ religionis sociū se proficitur, id potissimum  
agit, ut eorū nomina & honorem qui hæreticis sese  
opposuerunt, læcet & infamet: quos homo impu-  
dentissimus passim, ut capitales Jesu Christi hostes  
vixisse, ac tandem ut furiosos & desperatos Antichri-  
sti satellites mortuos esse, fingit. Nihil ibi frequen-  
tius occurrit, quam modò: *hunc divinitus percussit;*  
modo, *illum cælestis ira numinis consagraste,* atque  
adeo omnia elementa in nova suæ Ecclesie hostes, di-  
vino jussu & ultione, conspirasse. Non Regibus, non su-  
mi Principibus, quorū tamen inter homines auctoritas  
semper sacrosancta fuit, non ceteris in summa dignitate  
constitutis, parcitur: interim vero abjectissimi &, ut  
ille ait, omniū hominum postremissimi, tamquam  
Evangelii & regni Jesu Christi restauratores, lau-  
dantur, & Orci mancipia ad cælum efferuntur. Vide

hic effrontem hominum istorū audaciam, sua ipso-  
rum elogia scribentium! Notum enim est, Cōmen-  
tarios ab illis iphis scriptos, quorū laudes omnibus  
fere pagellis ad nauseam decantantur: nō aliter quā  
si pictor aliquis suum ipsius vultum non qualis est,  
sed qualē esse velit, falsis coloribus depingat, & tū  
sibi quam aliis spectandum atque admirandū pro-  
ponat. Eidem suæ quoque farinae homines & pseudo-  
martyres, quantis laudibus ornant! ac veluti muli  
mutuū scabunt! Ex his certe, quāvis falsissimis &  
ab omni ratione alienis, ingens illud Martyrologiū  
hæreticorum volumen confectum est & confarci-  
natum. Et quemadmodum hæresis impletisque vera  
fama est Ecclesia; sic in eo quoque eam imitatur, quod  
novi Evangelici suas quoque Synodos provinciales  
& nationales celebrant, ad quos Ministri (sic enim  
appellantur) certis mandatis à sua quisque com-  
munitate instructi, undique accurrunt, & variis de  
rebus tam ad omnes quam ad singulos & priuatos  
spectantibus, consultant, sententiasque de iis quæ ad  
suam promovendam Ecclesiam pertinent, dicunt.  
Istis in libris capitalibus litteris scripta videas eo-  
rum nomina qui Geneva egressi, primā Calvinianā  
Evangelii sementem fecerunt. Videas ibi frontispicio  
præfixum nomen ejus, qui velut pedaneus sen-  
nator emendicatas ab aliis historias tamquam sen-  
tentias, unum in fasciculum constrinxit; aut tam-  
quam camentarius è variis ruderibus hinc inde  
collectis, magnificam hanc, si diis placet, Ecclesia-  
sticæ historiarum arcem extruxit. Videas ibidem no-  
mina eorū qui istis hæreticorū conatibus sese op-  
posuerunt, atro notata calculo, ut qui tyranni, car-  
nifices, & hostes filiorum Dei (ita enim hæretici se  
impudenter vocant) traducuntur. Ex his porro  
omnibus unus aliquis postea electus est, qui ab al-  
liis particulatim congesta, ac plerumque conficta,  
vel aliter quam se habent reconstituta, in ordinem di-  
gereret, atque ita Scriptoris Historia Ecclesiasticæ  
nomē & dignitatem deinceps obtineret. Hic addit  
demit quæ vult, destruit, adificat, mutat quadrata ro-  
tundis: non suos tantū, verum etiā aliorum affectus  
& fidem sequutus. Hinc tot tamque ridicula in-  
eptia, hinc tam atroces calumniae & injuriæ; pro-  
brosi invidiae & odii, quo obcæcati miseri illi sunt,  
partus. Hinc tot gloriofa multorū, qui igneis curri-  
bus triumphantes cælum (scilicet) ingressi sunt, mar-  
tyria libris illis descripta leguntur; quæ cum non  
sunt aliud quam reorum & rebellium supplicia, ap-  
prehenduntur ut martyria sacra, & sine lachrymis  
à simplice

[a] *Historia Præsidis de la Place.*

à simplice & credulo vulgo legi non possunt, innocentes illos agnos rabioforum luporum dentibus (ita enim singulari numerosa orationis artificio repræsentantur) tam miseris modis disceptos lugente ac fremente, qua ratione ego diaboli ipsius pœnas describere possim, dummodo Angeli boni nomen, pro cacodæmone substituero.

III. Porro scriptorum ejusmodi fraudes & mendacia facile me impulerunt, ut ab injuria & odio vindicandos mihi statuerim eos, qui hæresi undique grassanti fortiter sese opposuerunt: digni profecto ob id ipsum æterna laude & memoria, quam sanè ego, quantum in me erit, & quantum præsentis instituti ratio patietur, nequaquam eos defraudabo. Nec tamen malum illis pro malo reddam, aut injuriam injuria rependam. Quid enim facias? Nempe hominibus istis innatum est, ut assidue nobis in faciem exspuant, & conviciorum ac maledictionem nimbo in nos effundant. Utantur ergo suis, si volunt, moribus, & tertio quoque verbo mendax aliquod convicium aspergant, per melicet: Ecclesia interim omnia ista ex alto despicit, adeoque hominum istorum probra & convicia honori sibi ducit; & instar cumini, per maledicta & execrationes olim sexti, tanto felicius provenit ac crescit. Medicos hæc in re imitemur; & sicut illi vitulino felle cordis doloribus medentur; sic nos venenato istorum hominum felle & maledictorum bile, errores ipsorum atque animi vitia emendare, & quantum in nobis erit, ab interitu eos vindicare studeamus.

IV. Interim vos, O Reformati (hoc enim nomen & calamis & gladiis & hastis vobis hæcenus acquirere voluistis) oculos aperite, & miseræ vestrae patriæ statum in hac veluti tabula depictum, diligenter perlustrate. Quamvis enim, ut Euripides monet, antiquæ ac jam præteritæ calamitates novis lachrymis deplorandæ non sint; scio tamen, nisi cor vobis ferreum & Marpesia caute durius sit, ubi tam luctuosa furoris vestri passim videritis vestigia, à veris lachrymis vobis non temperaturos. *O quanto facilius est destruere omnia & vastare quam ædificare ac restaurare! Hoc opus hic labor est, ubi nulli estis: alterum vero illud ò boni Reformatores, nimis quam bene didicistis; ad erigendam fidem inter gentiles & Mahometanos plane estis rudes, plane ac plusquam pueri estis (quod itidem sui temporis hæreticis Christianorum Jurisconsultus Tertullianus exprobravit) at in demolendis, quæ SS. PP. erexerunt, pene estis architecti.*

Sed plane Mirabiles architecti qui paucis annis omnia fere sexcætorum & mille retro annorum opera dejecistis; ac plura bella, quam Romani olim pro acquirendo universi terrarum orbis dominio gesserunt, accendistis pro vestri cerebri phantasia vanis homini inculcandis. Ut enim de sola Gallia nostra dicam, in ea novies omnibus copiis & viribus pugnatum, nempe ad Veram, Druydas, S. Dionysii fanum, Jarnacum, Monecontorium, Coutraum, Saulsiacum, & Jurium: plusquam ducenta prælia commissa sunt, quæ (ut de minutis quotidianis conflictibus nihil dicam) infinita hominum strage etiam cruentissimis quæ umquam commissa scribuntur, præliis æquiparari possunt. Quid de urbibus, oppidis & arcibus dicam? An ullus toto fere regno locus fuit, qui non captus, mox receptus, inde iterum receptus, & omni belli clade vexatus fuerit? Quid? Annon ultra decies centena civium vestrorum & popularium millia, partim gladio partim incendiis misere absumpistis? Quas vero urbes, arces & oppida non diripuistis? Tanta longa scilicet civilis hujus belli calamitatum fuit scies, tam proluxa malorum nostrorum Ilias, ut facilius fuerit in hoc regno locum aliquem aere vacuum (quamquam id per Naturam fieri non potest) quàm a belli miseris immunem reperire. Illud tam gloriosum & superbum ædificium, quod majorum nostrorum pietas & religio tam feliciter exædificavit, vos momento fere temporis ita destruxistis atque exinanivistis, ut extremum casum jam jam minaretur, nisi Deus interim fulcrum aliquod supposuisset, & in præceps euntem publicæ felicitatis curram velut sufflaminasset.

V. Non sine magno quidem nostro damno tum experti sumus, Religionem & Rempublicam ita inter se colligatas esse, ut vere de illis dici possit, quod Jurisconsultus de navi dixit: *Si dividas, perdis*, & de Christi Domini veste S. Bernardus *Destruitur si scindas*. Ut enim altera alterius tam in bonis quam in malis fortunam & statum sequitur, & religio præcipuum omnis imperii sive reipublicæ est fundamentum (siquidem ut vere Poëta noster Gallicis versibus canit,

*Prosperitas omnis regionis vincita tenetur  
Religione, parique gradu plerumque feruntur  
Religio & regio, seu pax sit rebus optima,  
Seu bellum cum civis aut quocumque hoste geratur.  
Religione status, nam sola innititur omni:  
Hæc animos hominum connectit sola catena.  
sic nihil est quo cujuscumque imperii status magis  
periculu*

periculosus labefactetur, quam religionis dissidiis. Et quemadmodum in Musicis si quis vel levissimo etiam vocis flexu ab artis præceptis discedat, statim omnis illa concentus suavitas perit, neque jam delectantur aures, sed offenduntur; ita in Republica quamprimum vinculum hoc dissolvitur, & in varias partes distrahitur, quid aliud quam confusionem & turbas expectabis, quæ ipsum tandem imperium, nisi mature componantur, sint everfura? Religionis incolumitate patria salutem contineri Socrates ethnicus dixit: cujus etymon quidam inde derivatum volunt, quod animos & corda hominum religet, & sacro quodam nodo constringat. [a] Hic cardo est, in quo præcipua publicæ felicitatis pars vertitur. Hac una Romanos omnes gentes ac nationes superasse, M. Tullius gloriatur. At Tertullianus in Apologetico, *Romani Imperii magnitudinem & diuturnitatem, Religionis potissimum curæ, & omnis in ea novationis odio tribuendum esse, non invitatus fatetur.* Recte enim ab Sapiantibus semper judicatum fuit, quæ tot sæculorum usu & duratione confirmata sunt, sine scelere atque impietate, novitatis tantum studio, mutari atque aboleri non posse: quum res humanæ, ut Hippodamus Pythagoræus dixit, nullam in divinis mutationem admittant, quæ non cum ipsarum ruina sit conjuncta. Recte Ennius:

*Moribus antiquis res stat Romana virisque.*

Et quemadmodum partes vitales in homine sine summo vitæ periculo lædi nõ possunt: sic in religione etiam, ut quæ velut anima est Respublica, & firmissimum omnium legum fundamentum, ne minimum quidem mutari potest, quin multa statim inde mala & pericula ad Rempublicam redundent. Hanc unam tamquam primam & firmissimam basin, quotquot in optimè conformanda hominum societate elaborarunt, Respublicæ à se descriptæ subjecerunt. Huic divinus ille Plato primum in sua, cogitatione magis quam opere effingenda, Republica locum tribuit: qui etiam ejus rectoribus primum hoc tradit præceptum, ne quidquam in religione mutari aut novari patiantur, quam certissimum sit, ex religionis mutatione, imperii quoque sequi mutationem.

VI. Id si ulla alia sub sole regio, Gallia certe nostra experta est: quæ quamprimum novæ religioni & hæresi aditum præbuit, pristinae suæ felicitati longum, atque utinam non æternum, Vale dixit.

*Ex illo retro ruere, ac sub lapsa, referri Omnia.*

Misera Gallia! quæ veluti cõmunis omnibus Chri-

stianis ara hæctenus fuisti, & post Henricum illum Aurelianensem apostatam, nullum hæreticum produxisti [b] eadem posthac instar theatri eris, in quo non varia tantum hærescon monstra, verum etiam gravissimæ ex eis natæ calamitates repræsententur. O te miseram Galliam.

*Quam quum non posset vis illa aliena domare, Viribus ipsa suis sese confecit, & agram*

*Ducit nunc animam, letho exitioque propinqua.*

O inconstantem Gallorum nationem! quantum à pristina majorum constantia degenerasti, qua illi in recepta semel, integre atque inviolabiliter conservanda semper religione usi sunt! Sed quid queror? Nimirum ad præcipitium hoc consueta temeritas te deduxit. Tu quidem omnibus qui posthac futuri sunt, exemplo eris & documento, quam perniciosum sit à Fide Catholica deficere atque apostatate. Contemplare, sodes, in hoc libro tantarum tragædiarum auctores; aspice furiosos illos Orestes in scenam sanguine undantem hic à nobis productos: aspice, inquam, eos, qui divinitus ut pœnæ à te sumerent, conducti videntur; qui ea incendia excitarunt, quibus universum pæne regnum conflavit, quæ etiam non nisi ruina videntur extinguï posse. O iterum miseram Galliam! quæ ex calamitatibus tuis & miseris tamquam novus mûdus denuo creata quodammodo prodisti! Heu infelicem ac fatalem ruinam, qua boni ac mali pariter sæpe sunt oppressi! O felix quondam regnû! O melior Orbis terrarum pars! quas ego faces à divina ira accensas; quas in religionis negotio diffusiones, quam funestas tibi contentiones præparatas video, à quibus tandem in præsentissimum exitium præcipiteris? Sed quoniam abripior? Quia hoc potius ago; & primam nostrorum malorum telam explicare aggredior.

[a] *Macrob. Saturn. lib. 2. cap. 6. Laet. l. 4. August. de ver. relig. in fin. D. Tho. 2. 2. q. 81. art. 1. Placius lib. 1. de bono Religiosi &c. [b] Vixit an. 1230.*

DE FRANCISCO I. GALLIARUM REGE.  
ejusque in litteras & litteratos, quos undique ad se accersivit, amore.

CAPUT SEGUNDUM.

ARGUMENTUM.

I. *Franciscus I. Galliarum rex bonarum litterarum  
Ec restaura.*